G cētes, quia phantaſma eſt,& præ timore clamauerūt.Ieſus tranſit calcās fluctus, & tamē tantæ ſunt tribulationes, vt etiā ipſi qui crediderūt in Ieſum & conantur perſeuerare vſque in finem, plerumq; turbentur & expaueſcant ne deficiant.Chriſto inquam,fluctus calcante, id eſt, ſeculi ambitiones & altitudines deprimente, expaueſcunt Chriſtiani. Merito igitur domino in fluctibus ambulante timuerunt diſcipuli, quia Chriſtiani quāuis habentes ſpem in futuro ſeculo. Quando vident deprimi altitudinem huius ſeculi, nonnunquam turbātur de contritione rerū humanarū, nec à deo fieri hanc arbitrantur, ſed ab hoſte. Turbati ſunt ergo dicētes quia phātaſma eſt, quoniā dū conſiderant mundi gloriā ſterni & ſeculariū elationū altitudines deiici,mundanosq; fluctus calcari,plerumque turbantur de mūdi percuſſionibus: quia nondum intelligunt deū iſta facere,ſed putant ſpiritū huius mūdi phantaſticū,id eſt, ſubdolum Satanā talia in
H mundo gerere, & præ timore clamant turbati ad dominū.Sed poſtmodū diligentius attendētes, aperiunt euangeliū, aperiunt ſcripturas diuinas & inueniunt ibi iſta omnia prædicta, & animaduertunt quia non inanis & vmbratilis ille ſpiritus qui verū eſſe perdidit, ſed verus dominus facit hęc, & deprimit celſitudines ſeculi, vt ab humilibus glorificetur.Vnde & aptè ſubditur.[Statimque Ieſus locutus eſt eis dicens,Habete fidutiam: Ego ſum, nolite timere.]Aut enim per internam aſpirationē,aut per ſcripturas,aut per prædicatores loquitur ſuis talia.Nolite inquit,diffidere, ſed fidutiam habete,nolite expaueſcere,ſed impauidi eſtote,qa ego ſum qui iſta prædixi:& nunc ea facio pro veſtris vtilitatibus & ideo neceſſe eſt,vt fiant.Ego ſū qui non mutor & cui⁹ verba nō tranſeūt,ſed permanent & rebus explentur, qui & ad Moyſen dixi:ego ſum qui ſum,ac præcepi ei ſic dicēs filiis Iſrael:qui eſt,miſit me ad vos.Res enim quælibet, ſi mutabilis eſt,non verè eſt. Non eſt enim ibi verū eſſe,vbi eſt & nō eſſe.Nā quicquid mutari poteſt, mutatū,non eſt quod erat.Ac in veritate quæ manet,mutatio non eſt,nec præteritū aut futurū, ſed ſolū preſens & hoc incorruptibiliter quod in creatura nō eſt.Diſcute enim rerū mutationes,& inue
I nies,fuit,& erit.Cogita deum,& inuenies, eſt vbi fuit,& erit,eſſe non poſſit.Rectè ergo Chriſt⁹ qui eſt æterna, & incōmutabilis veritas, dicit ſuis inter mundanas tribulationes fluctuātibus, ego ſum nolite timere.Sequitur:[Reſpōdēs autē Petrus,dixit. Domine ſi tu es, iube me venire ad te ſuper aquas. Ac ipſe ait:Veni] Petrus ordinem prædicatorū deſignat,aquę verò non ſolum tribulationes, ſed & populos ſignificant.Si,inquit, tu es,ſi tu incōmutabilis permanes:iube,quia iuſſio tua eſt virtus efficiens,iube me ſuper aquas, id eſt,ſuper fluctus mundanarū tribulationū & ſuper populos,venire ad te, vt & ego tibi incōmutabili adherens, fiam incōmutabilis participatione firmitatis tuæ. Vadit enim ſup tribulatiōes qui nō ſuperatur aut mergitur ab eis,ſed calcat & ſuperat eas, ſicut legimus,quia ſub Stephano facta eſt illa tribulatio, in qua ipſe pro Chriſto prim⁹ animā ſuā poſuit. Sed K
& ſup populos vadit ad Chriſtū, q regēdo multitudines fideliū tendit ad regnū cælorū. Sequitur: [Et deſcēdens Petrus de nauicula, ambulabat ſup aquas,vt veniret ad Ieſum.] Hoc cōpletū eſt & cō pletur,dū ſācti prędicatores ad exteras gētes mittūtur. Petrus enim de nauicula deſcēdit quotiens quilibet ſanctus doctor de gremio matris eccleſię vbi fuerat educatus,pia cōdeſcenſione perrexit ad illos q foris erāt,vt eis viā ſalutis oſtēderet.Et ambulauit ſup aquas, dū & tribulationes ſuperando calcaret,& multitudines hominū Chriſto credere faciēs ſibi ſubderet.Ambulauit inquā nō ſtetit,qa ſemp ea quæ retro ſunt lōgius fugiens, ad ea quæ ante ſe magis ac magis ſe promouit, & quotidianis virtutū incremētis profecit. Et hæc omnia egit vt veniret ad Ieſum qui eſt ſaluator & veritas incōmutabilis,quatin⁹ eum apprehendens & ei in herēs,verā teneret in eo ſalutē & incōmutabilitatē.Sequitur:Vidēs verò ventū validū,annuit,& cū L
cœpiſſet mergi,clamauit dicēs. Domine ſaluū me fac.Valid⁹ vētus,vehemēs conatus demonū eſt ad excitanda corda hominū,velut aquas maris in inquietudinē perſequutionis fideliū, vel ad ſuadēdū fortiter malū.Qui ſcilicet vētus flabit tūc valid⁹, quādo ſatanas in ſuis viribus,extremo tēpore contra iuſtos relaxabitur.Quod in hac ſentētia nunc deſignari videtur, quia Petrus qui eſt ordo prædicātiū vidēs ventū validū timuiſſe refertur.Quis enī vel pfectorū nō timebit: quādo ſub antichriſto immanis illa perſecutio vbique feruebit. Timēs autē,incipiet aliquātulū mergi, quia propter horrorē atrocitatis ſuppliciorū quæ ſanctis inferētur, & propter admirationē fallaciū ſignorū quæ p ſequaces antichriſti fiēt, aliquātulū in corde ſuo fluctuās, ab inferiori parte animæ ſentiet aliquid quo niſi Chriſti dextera leuauerit, facile totus demergi poſſit.Sed quia electus erit,ad Chriſtū clamabit domine ſaluū me fac,& ſic eo ſubueniēte erigetur.Erit enim tūc tribulatio magna,qualis nō fuit ab initio creaturæ vſq; modo,neq; fiet.Et niſi breuiati fuiſſent dies illi,nō fieret ſalua omnis caro.Sed propter electos,breuiabuntur dies illi. M
Vnde & hic apte ſubditur,& cōtinuo Ieſus, extendēs manū apprehēdit eū,& ait illi.Modicę fidei,quare dubitaſti,Cito enim ſaluator vnicuiq; ſuorū extēdet manū ſalutaris auxilij,quia nō patietur eos tēptari ſupra id quod ferre poterūt. Et quēlibet eorū velociter apprehēdet,id eſt,quadā vi diuini adiutorij aſſumēs tenebit & eripiet. Modicę inquit, fidei,quare dubitaſti?Cui⁹ fides in illa tribulatione nō titubabit,quādo martyr qui p Chriſto ſanguinē ſuū fūdet,nihil ſignorū facere poterit,& ante ipſius oculos tortor ipſius ſigna faciet. Pēſemus ergo,quę erit humanæ mentis illa tentatio. Cuius enim tūc virtus non ab ipſo cogitationum fundo quatiatur,quādo qui flagris cruciat,miraculis corruſcat.Tanta quippe tunc contra iuſtos antichriſtus & miniſtri eius iniquitate & dolo effrenātur, vt etiā electorū corda nō modico pauore feriātur. Vnde ſcriptum eſt:Ita vt in errorem inducantur ſi fieri

Quid de nauī deſcē dere.

Ventus ua lidus.

Quot modis loquitur deus.

Num.23.c

Exod.3.d

Creaturæ non uerè ſunt.

Petrus quid ſignificet.

Aquis quid ſignificatur.

Actuū.7 &.8

Mat.24.b

1.Co.10.c

Martyres ſub Antichriſto ſigna nō faciēt,ſed tortores.

Mat.24.b